

terquàm in susceptione humanæ carnis, vbi non contradixit ille, sed filuit. Hinc est, quod in eisdem Confessionum libris scriptum est: Cæterum Philosophorum scripta plena fallaciarum & deceptionum, secundum elementa huius Mundi, quod ait Apostolus, in Platonice autem modis omnibus prædicari Deum & eius verbum. Sed ego video quàm cupidè in idem quod mihi contingere meditabar incubuerim, deinceps igitur in perpetuum cohibebo. Finis quidem vitæ, quia studiorum Platonis fidelissimus testis erit, non est prætermittendus, sub capite morientis, Stephanionis, numeros constat inuentos, vt non minus verè de hoc quàm de Carneade dici possit: quod vnus fuerit & Philosophandi finis & viuendi. Obiit annis ætatis vno & octoginta, exactis, (mira res dictu) ipso suo natali die. Quamobrem vt in epistola quadam meminit Anneus Seneca, Magi qui tunc forè Athenis erant, immolauerunt defuncto, amplioris fuisse sortis quàm humanæ rati, quia consummasset perfectissimum numerum, quem nouem nonies multiplicata componunt.

ARISTO